


quòd in utroque casu præcedentium Phænomenorum, externus aër, sive per epistomium inferius in casu Phæn. VII. sive per foramen operculi C in casu Phæn. VI. admiffus, Mercurium antè delapsum in tubulo subitò rursus evexerit ad pristinam altitudinem.

VII. In parte priore Collegii Curiosi Tentam. III. Phæn. V. ostenderamus, argentum vivum ex vasculo BCD in Tubum utrinque apertum AEB tantò altiùs efferri à B ad D & E, quò magis accrescebat altitudo aquæ ampliori tubulo infusa & Mercurio in vasculo stagnanti incumbens. Quemadmodum autem ejus ascensûs causa palpabilis erat aquæ prementis pondus; ita, partim ad confirmationem hujus, partim verò ad ocularem demonstrationem illius Principii Hydrostatici, quòd fluorum cylindri altitudine æquales, tametsi spissitudine valdè inæquales, si terminentur in eandem aut æquales corporis premendi bases, tantundem premendo valeant, ac mutuò se reducant ad æquilibrium, aliud porrò experimentum, in supplementum prioris istius, capere hac vice collubuit. Posteaquam igitur amplius ille aquæ in tubo laxiore cylindrus, Mercurium in angustiore ad E usque sustulisset, tantillum aquæ per angustiorem Tubi superum orificium A infudimus, donec æquali esset hic gracilior cylindrus cum ampliore externo altitudine, vidimusque Mercurium omnem ab E ad B iterum, atque adeò ad æquilibrium cum altero in vasculo stagnante, depressum, & ante hanc



Phæn. X.

plena-